

I 294

1888

8 Hojas 188 Hojas 11 Hojas Escudo a todo color y 10
Hojas 8 p.

REGVLA APOSTOLICA AB

eximio ecclesie Doctore diuo Aurelio Au-
gustino Patre nostro instaurata: sub qua
militant clerici nostri, clericali habi-
tu & rubra (Diui Iacobi)
spata insigniti.

ORA PRO NOBIS BEATE

SIONIBVS CHRISTI,



AVGVSTINE: VT DIG-
NIFICIAMVR PROMIS

Primum capitulum.



NT E omnia (Fratres charis-
simi) diligatur Deus, Deinde
Proximus, quia ista præcepta
sunt principaliter nobis data.
Hec igitur sunt quæ vt obser-
uetis præcipimus: in monasterio constituti.

A 2 Cap.

REGVLA

Cap. II.

Primum, propter quod in vnū estis congregati: vt vnanimēs habitetis in domo, & sit vobis anima vna & cor vnum in Deo. Et non dicatis aliquid proprium: sed sint vobis omnia communia: & distribuatur vnicuique vestrum à præposito vestro, victus & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed potius vnicuique sicut cuique opus fuerit. Sic enim legitis in actibus Apostolorum, quod erant illis omnia cōmunia & distribuēbatur vnicuique, sicut cuique opus erat.

Cap. III.

QVI aliquid habebant in sæculo (quando ingressi sunt monasterium) libenter velint illud esse commune.

Cap. IIII.

QVI autem non habebant, non ea quærāt in monasterio, quæ nec foris habere poterunt, sed tamen eorum infirmitati, quòd opus est tribuatur, etiam si paupertas eorū quando foris erant: nec ipsa necessaria poterat inuenire, non ideo se reputent esse fœli

ces

BEATI AVGVSTINI.

ces, quia inuenerunt victum & tegumētum, quale foris inuenire nō poterant, nec erigāt ceruicem, quia sociantur eis ad quos foris accedere non audebant, sed fursum cor habeāt & terrena vana non quærant, ne incipiant esse monasteria diuitibus vtilia, non pauperibus, si diuites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur.

Cap. V.

Rursus etiam illi qui aliquid esse videbantur in sæculo, non habeant fastidio Fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt: magis autem studeāt non de parentum diuitum dignitate: sed de pauperum fratrum societate gloriari. Nec extollantur si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerunt: nec de suis diuitijs magis superbiāt: quia eas in monasterio partiuntur quam si eis in sæculo fruerētur. Alia quippe quecunque iniquitas in malis operibus exercetur vt fiant: superbia vero etiam bonis operibus infidiatur vt pereant. Et quid pdest dispergēdo dare pauperibus & pauperem fieri cum anima misera superbior effici

REGVLA

tur diuitias contēnendo q̄ fuerat possidēdo.

Cap. VI.

OMNES enim vnanimiter & concorditer viuite, & honorate in vobis deum inuicē cuius templa facti estis.

Cap. VII.

ORATIONIBVS instate, horis & temporibus constitutis.

Cap. VIII.

IN oratorio nemo aliquid agat: nisi ad quid factum est: vnde & nomen accepit: vt si forte aliquid etiam præter horas constitutas, si eis vacatur, orare voluerint: non eis sit impedimento, qui ibi aliquid agendum putauerunt.

Cap. IX.

Psalms & hymnis cum oretis Deū, hoc versetur in corde, quod profertur in voce: & nolite cantare nisi quod legistis esse cantandum. Quod autem non ita scriptum est vt cantetur, non cantetur.

Cap. X.

Carnem vestram domate ieiunijs, & abstinencia escæ, quantum valetudo permittit: quando autem aliquis non potest ieiunare,

non

BEATI AVGVSTINI

non tamen extra horam prandij aliquid alim-
entorum sumat, nisi cum ægrotat.

Cap. XI.

Cum acceditis ad mensam, donec inde
furgatis: quod vobis secundum consuetudi-
nem legitur, sine tumultu & contentioni-
bus audite, ne solæ vobis fauces sumant ci-
bum, sed & aures esuriant Dei verbum.

Cap. XII.

Qui infirmi sunt ex pristina consuetudi-
ne, si aliter tractantur in victu: non debet
alijs molestum esse, nec iniustum videri eis,
quos fecit aliqua consuetudo fortiores: nec
illos fœliciores putent, quia sumunt quod
non sumunt ipsi, sed sibi potius gratulentur,
quia valent quod non valent illi.

Cap. XIII.

ET SI eis qui venerunt ex moribus de-
licatioribus ad monasterium aliquid alimen-
torum vestimentorum operimentorū, datur
quod alijs fortioribus (& ideo fœlicioribus)

non

non datur, cogitare debent quibus non datur quantum de sæculari vita illi ad istam descēderint, quamuis vsque ad aliorū qui sunt corpore firmiores frugalitatem peruenire nequiuerint: nec debent velle omnes quod paucos vident amplius (non quia honorātur sed quia tolerantur) accipere ne contingat detestanda peruersitas vt in monasterio vbi quantum possunt fiunt diuites laboriosi, fiant pauperes delicati.

Cap. XIII.

SANE quemadmodum ægrotantes necesse habent minus accipere ne grauentur: ita post egritudinem sic tractandi sunt, vt citius recreentur: etiam si de humilima sæculi paupertate venerunt tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo quod diuitibus austerior consuetudo.

Cap. XV,

SED cum vires pristinas reparauerint redeāt ad foeliciorem consuetudinem suam quæ famulos dei tãto amplius decet: quanto minus indigent: ne cibi eos teneat voluptas iam vegetatos: quos necessitas leuarat infirmos

BEATI AVGVSTINI

mos. Illos existiment ditiores qui in sustinenda paritate fuerint fortiores. Melius est enim egerē q̄ plus habere.

Cap. XVI.

NON sit notabilis habitus vester nec affectetis vestibus placere sed moribus.

Cap. XVII.

QUANDO procedetis simul ābulate cum veneritis quo itis simul state.

Cap. XVIII.

In incessu statu, habitu & in omnibus motibus vestris, nihil fiat quod cuiusquā offendant aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.

Cap. XIX.

Oculi vestri et si eijciantur in aliquam foeminarum in nulla figatur. Neque enim quando proceditis fæminas videre prohibemini, sed appetere aut ab ipsis appeti velle criminofum est: nec solo affectu & tactu, sed affectu quoque appetitur, & appetit concupiscentia foeminarū. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nun-

B tius

tius. Et cum se inuicem sibimet (etiam tacente lingua) conspectu mutuo corda nuntiant impudica, & secundum concupiscētiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam in tantis ab omni uoluntate violatione corporibus fugit castitas ipsa de moribus. Nec putare debet qui in fœmina figit oculus & illius in se diligit fixū, ab alijs se nō videri cū hoc fecerit uoluntate, etiam a quibus se videri nō arbitratur. Sed ecce lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet d̄ illo desuper inspectore, quē latere nihil potest. An ideo putandus est non videre quia tanto videt patientius, quanto sapientius? Illi ergo vir sanctus timeat displicere, ne velit fœminæ male placere. Illum cogitet omnia videre, nec velit fœminam male videre. Illius namque & in hac causa commendatus est timor ubi scriptum est, Abominatio est domino defigens oculus.

Cap. 20. Quando ergo simul estis in ecclesia aut v-
 bicumque fœminæ sunt, inuicē vestram pu-
 dicitiam custodite. Deus enim qui habitat in
 vobis, etiā isto modo custodiet vos ex vobis.

Cap

BEATI AVGVSTINI.

Cap. 21

Et si hanc de qua loquor oculi petulãtiam in aliquo vestrum aduerteritis, statim admonete ne cepta progrediantur, sed de proximo corrigantur. Si autem & post a monitionẽ iterum vel alio quocumque die id ipsum eum facere videritis iam velut vulneratum sanandum prodat quicumque hoc potuerit inuenire. Prius tamen est alteri vel tertio demonstrandum, ut duorum vel trium possit ore convinci, & competenti seueritate coerceri: nec vos iudicetis esse maleuolos quando hoc indicatis. Magis quippe innocentes non estis si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari, eum timet secari, nonne crudeliter a te siletur, & misericorditer indicaretur?

Quanto ergo potius debes manifestare ne deterius putrescat in corde, sed antequam alijs demonstretur, per quos convincendus est, si negauerit prius præposito de-

B 2 bet

bet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi: ne forte possit secretius correctus non innotescere cæteris. Si autem negauerit, tunc neganti adhibendi sunt alij (vt iam coram omnibus possit non ab vno teste argui) sed à duobus vel tribus conuinci. Conuictus vero secū dū præpositi vel etiam presbyteri, ad cuius dispensationem pertinet arbitrium, debet emendatoriam subire vindictam: quam si ferre recusauerit, etiam si ipse nō abscesserit de vestra societate proijciatur. Nō enim & hoc fit crudeliter, sed misericorditer: ne cōtagione pestifera plurimos perdat.

Cap. 22

ET hoc quod dixit de oculo non figendo & in cæteris inueniendis, prohibendis, indicandis, conuincendis, vindicandisq; peccatis diligenter & fideliter obseruetur cum dilectione hominum & odio vitiorum.

Cap. 23

Quicumque autem in tantum progressus fuerit malum, vt occulte ab aliquo literas vel quodlibet munus accipiat (si hoc vltro confitetur) parcatur illi & oretur pro eo. Si autē depre-

BEATI AVGVSTINI.

deprehenditur atque cōvincitur secundum
arbitrium presbyteri vel præpositi grauius
emendetur.

Cap. 24.

Vestres vestras in vnum habeatis sub vno
custode vel duobus, vel quod sufficere potue
rint ad eas excutiendas, ne à Tinea lædatur.

Et sicut pascimini ex vno cellario, sic indua
mini ex vno vestiario, et si fieri potest non ad
vos pertineat (quod vobis indumentum pro
temporis congruentia proferatur) vtrum
recipiat hoc vnusquisque quod deposuerat,
an aliud quod alter habuerat, dum tamē vni
cuique (prout opus est) non denegetur. Si au
tem hinc inter vos contentiones & murmu
ra oriuntur, cum quæritur aliquis deterius
se accepisse quam prius habuerat, & indignum
se esse quod non ita vestiatur, sicut alius
frater eius vestitur. Hinc vos probate quan
tum vobis desit in illo interiore sancto ha
bitu cordis, p̄ habitu corporis litigatis. Ta
men si vestra tolleratur infirmitas, vt hoc re
cipiatis quod posueritis, in vno tñ loco sub
cōmunibus custodibus habere quod ponitis.

REGVLA. BEATISSIMI

Cap. 25.

Ita sane vt nullius sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra in vnum fiant maiori studio & frequentiori alacritate, quam si vobis singulis feceritis propria. Charitas enim, de qua scriptum est, quod non quærit quæ sua sunt: sic intelligitur quia communia proprijs non propria communibus antepo- nit. & ideo quanto amplius rem communem quam propriam vestram curaueritis, tanto vos amplius proficere noueritis, vt in omnibus quibus vtitur transitura necessitas superemineat quæ permanet charitas.

Cap. 26.

Consequens ergo est, vt etiam quæ suis filijs (aut aliqua necessitudine) ad se pertinentibus in monasterio constitutis aliquam contulerit vestem, siue quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occulte accipiat, sed sit in potestate præpositi, vt in re cõmunem redactum: cui necessarium fuerit præbeat.

Cap. 27.

Quod si aliquis rem sibi collatam celaue- rit,

BEATI AVGVSTINI

rit, furti iudicio condemnatur. Indumenta vestra secundum arbitrium præpositi lauentur, sine a vobis, siue a fullonibus ne interiores animæ sordes contahat munde vestis nimius appetitus.

Cap. 28.

Lauacrum etiam corpori cum infirmitatis necessitas cogit minime denegetur. Fiat sine murmure de cōsilio medicinæ, ita vt etiã si nolit iubente præposito faciat quod faciendum est pro salute, Si aut velit & forte nõ expedit suæ cupiditati non obediatur. Aliquando etiam si nocet prodesse creditur quod delectat. Denique si latens est dolor in corpore famulo Dei, dicenti quod sibi doleat: sine dubitatione credatur. Sed tamen vtrum sanando illi dolori quod delectat expediat: si non est certum medicus consulatur.

Cap. 29.

Nec eant ad Balnea: siue quocũque ire necesse fuerit minus q̃ duo vel tres.

Cap. 30.

Et ille qui habet aliquo eundi necessitatem cum quibus præpositus iusserit, ire debet.

Cap

Cap. 31.

Aegrotantium cura siue post ægritudinē
reficiēdorū: siue aliqua imbecillitate etiam
sine febribus laborātium, vni alicui debet in-
iungi, vt ipse decellario petat quod cuique o-
pus esse prospexerit.

Cap. 32.

Siue autem qui cellario siue qui vestibus, si-
ue qui codicibus preponūtur sine murmure
seruiant fratribus suis.

Cap. 33.

Codices certa hora singulis diebus petan-
tur: extra horam qui petierit non accipiet.

Cap. 34.

Vestimenta vero & calciamenta quando
indigentibus fuerint necessaria, dare non dif-
ferant sub quorum custodia sunt que poscū-
tur.

Cap. 35.

Lites aut nullas habeatis, aut quā celerrī-
me finiatis, ne ira crescat in odium & trabē
faciat defestuca et animam faciat homicidā.
Sic enim legis: qui odit fratrem suum homi-
cida est.

Cap

BEATI AVGVSTINI.

Cap. 36.

Quicumque conuitio vel maledicto, vel etiam criminis obiectu aliquē læserit: meminerit satisfactione quantotius curare quod fecit, & ille qui læsus est sine disceptatione dimittere: Si autem inuicem se læserint: inuicem sibi debita relaxare debebūt: propter orationes vestras, quas vtique quanto crebriores habetis: tanto sanctiores habere debetis. Melior est autem qui quanuis ira sæpe tentatur: tamen impetrare festinat, vt sibi dimittat cui se fecisse agnoscit iniuriam, q̄ qui tardius irascitur et ad veniam petendam tardius inclinatur. Qui aut̄ nunquam vult petere veniam: aut non ex animo petit, sine causa est in monasterio, & si inde non proijciatur.

Cap. 37.

Proinde vobis a verbis durioribus parcite: quæ si emissa fuerint ex ore vestro: non pigeat ex ipso ore pro ferre medicamenta, vnde facta sunt vulnera.

Cap. 38.

Quando aut̄ necessitas disciplinæ in mori

C

bus

tis in spicere ne per obliuionem aliquid negli-
gatis semel in septimana vobis legatur. Et
vbi vos inueneritis ea quæ escripta sunt faciē-
tes agite, gratias domino bonorum omnium
largitori. Vbi autē sibi quicumque vestrum vi-
det aliquid deesse, doleat de præterito: caueat
de futuro, orans: vt & sibi debitum dimitta-
tur & in tentationem non inducatur Amen.

¶ Explicit tertia regula
sancti Augustini.

FORMA SECVNDVM QVAM

beatus Augustinus communem socie-
tatem dedit eis qui suo fratrumque
suorum confortijs coniungi
optabant.



OMNES quiuis per gratiam
baptismi fratres sumus in chri-
sto & vnum patrem habemus
in cælo si eius in cælo si eius
præceptis (prout possumus)
obsequimur proculdubio, tunc maxime vni-
mur

BEATI AVGVSTINI

mur quando orationibus & beneficijs inuicem nosmet ipsos copulamus, Quemadmodum & in primitiua ecclesia, quibus cor vnū erat & anima vna. Quorum amore plures accensi mente, possessiones & facultates rerum vendentes congregatis cum matre christi Iesu in vnum, prætia deferebant gaudentes. Sicq; nihilominus Deo inspirate eorum exemplo commonitus, nostris optat coniungi confortijs. Idcirco damus ei communem societatem viuendi nobiscum, quantū autem a domino promoueri possumus & nostrum est largiri, quatenus cum electis à remuneratore omnium bonorum valeat præmia repromissa percipere. Per eūdem Christum Dominum nostrum. Amen.

FINIS.

Sub regula B. Augustini militant oēs Ca-
nonici Regulares, Fratres prædicatores,
Eremitani, Seruite, Ordo sanctæ Brigi-
dæ, Ordo sancti Hieronymi nouiter insti-
tutus ab Eugenio III. Ordo Scopetino-
ordinatus à Gregorio. XII. Ordo sancti
Ioannis Hierosolymitani, qui vulgariter Fe-
rieri nuncupantur. Ordo hospitaliorum
sancti Antonij. Ordo Cruciferorum, om-
nes habitu & constitutionibus differentes.

L A V S D E O.



Ayuntamiento de Madrid